



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 19. Turbæ in Regno Scotiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

mortis metu promissi sui immemor fuit. *Sæcal. XV.*
 Visæ etiam fuere inter Florentiam & Se- *A.C. 1456.*
 nas nubes viginti cubitis a terra sublimes,
 quæ inter se tam furioso ventorum im-
 petu agitatæ propellebantur, ut tectorum
 montiumque cacumina avellerent, mu-
 ros dejicerent, atque annosas maxime
 arbores evulsis radicibus prosternerent,
 & jumentorum, hominumque corpora
 non parvis per aera spatiis raptarent.

§. XIX.

Turbæ in Regno Sueciæ.

Christiernus II. Daniæ Rex jam dudum sibi quorumdam factionem concilia- verat, quorum ope Sueciæ solium con- scendere, ac Carolo VIII, quem infestæ fortunæ calamitas per plures jamjam annos graviter presserat, subrogari molitus est; Ipse quoque Joannes Benedictus Upsalensis Archiepiscopus clandestini hu- jus consilii fautor, rem adeo secrete ges- sit, ut nec ipse Carolus, quæ gererentur citius rescisset, quam cum conjuratio hoc anno in apertum erumperet, nec despe- *Joa. Magn.*
 ratæ caussæ ullum remedium afferre *i. 23.*
 posset. Christiernus igitur nullo ferme obnitente Rex coronatur, Carolo in Po- *Krantz. cap.*
 loniam secedere compulso, qui tamen i. 7. & 8.
 plus immoda ambitione sua, qua non solum Clerum, sed & Nobiles sibi offen-

H h 4 sos

Sæcul. XV. vos reddidit, conspirationis ansam dedit,
 A.C. 1456. quamvis cetera quidem Rex prudentia,
 & æquitatis amore summe commendan-
 dus esset, hisque egregiis virtutibus satis
 uberem associasset eruditionem, vastam-
 que Philosophiae ac Mathematices scien-
 tiam adeptus esset. Enimvero tam digni
 Principis exauctioratio insigne est incon-
 stantis fortunæ exemplum, ac præprimis
 triste humanæ levitatis rudimentum; Hic
 enim ab ipso populo ferme unanimi om-
 nium consensu, nec cæco eligentium im-
 petu, ad regni solium evocabatur, imo præ-
 cognitis Viri meritis cum omnium applau-
 su electus fuit; quippe jam olim post E-
 ricum III. regnum administrabat. Nihi-
 lominus postea populus Carolum solio
 deturbavit, atque in ejus locum Christo-
 phorum de Bavaria suffecit, ubi vero pro-
 prio damno facti sui injustitiam edoce-
 batur, eundem Anno Christi millesimo
 quadringentesimo quadragesimo octavo
 rursum regno restituit, ut vel maxime
 propriis suis commodis consuleret. In
 progressu Historiæ nostræ ad Annum
 Domini millesimum quadringentesimum
 sexagesimum quartum videbimus, quod
 idem Carolus denuo, atque secundo re-
 gni sui thronum conscenderit.

§. XX.